



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 5. De actibus Confessarij in Tribunali paenitentiae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

pi tenentur approbationem dare Regularibus privilegiatis per examen idoneis re-  
pertis, quia Regulares privilegiati privile-  
gio summi Pontificis jus ad dictam appro-  
bationem habent, supposita idoneitate per  
Episcoporum examen.

3. Ad approbationem autem simpliciter & iudicium idoneitatis confessoriorum juxta Concil. Trident. sufficit approbatio facta ab Episcopo Confessorij: in ordine vero ad confessiones audiendas & absolutionem salvis privilegijs requiritur approbatio Episcopi penitentis. Quia nemo legitime absolvi potest nisi ab habente jurisdictionem in ipsum, solus autem Ordinarius penitentis potest talem jurisdictionem dare.

## Articulus Quintus.

*De actibus Confessorij in tribunali penitentiae.*

1. **T**Res sunt actus primarij Confessoriorum, nimirum Examen rei sive penitentis, iudicium de gravitate sive levitate

tate culparum: & absolutio sive condemnatio: secundarij vero actus sunt: Instructio pænitentis, medela peccatorum, consilium in anxietate.

2. Tenetur vero Confessarius examinare pænitentem, quando probabiliter credit aut suspicatur, eum peccaminose omittere aliquid, quod est necessarium ad Sacramenti pænitiæ validam administrationē (*dicitur quando probabiliter credit aut suspicatur pænitentem omittere*) non enim vexare debet examine indiscreto personas alias honeste instructas, doctas, & quæ moraliter bene explicat peccata, maxime si frequenter confiteantur. Probabiliter vero dicitur credere pænitentem aliquid omittere. 1. Si videatur ignorans vincibiliter. 2. Si appareat nimia verecundia in illo. 3. Si in materia gravi, nec numerum nec circumstantias speciem mutantem referat. 4. Si ita in confuso sua dicat ut confessarius nullum determinatum iudicium de certo peccato facere possit. 5. Si omnino nihil dicat nisi quod male fecerit. Non tenetur vero nec potest absque peccato

cato confessarius examinare penitentem, si probabiliter praevideat ex isto examine grave aliquod peccatum oriundum v. G. quod ex isto examine penitens accipiet incentivum ad peccatum, quod malitiam docebitur, &c. Hinc non tenetur Sacerdos penitentem examinare discurrendo per omnia peccata, sed tantum per graviora & ea quae attenta qualitate, statu, vocatione, conservatione, vel exercitijs personae committi solent. Unde saepius tempus valde inutiliter terunt, qui ad singulas personas fere per omnia decalogi praecepta & per minutilas observantias discurrunt.

3. Huc referri debet casus: quando ob angustiam temporis, multitudinem adventantium, imperitiam penitentis, impotentiam recordationis, vel quia multo tempore non est confessus, vel quia invalide multis annis confessus est: non potest confessarius penitentem examinare, nec convenit illum remittere, tunc potest de gravioribus aliquot peccatis illum examinare, & ad universalem contritionem ac firmum propositum se examinandi & alio

tem-

tempore redeundi excitare & sic illum absol-  
olvere.

4. Confessarius tenetur sub peccato instruere pœnitentem, ubi apparet illi in-  
esse ignorantia culpabilis, quę obicem po-  
neret Sacramento. Insuper tenetur in-  
struere illum de ijs quę necessitate medij  
necessaria sunt ad salutem, quatenus ad di-  
spositionem ejus ad hoc Sacramentum hic  
& nunc requiruntur. Impertinenter vero  
& non sine peccato faciunt, qui in confes-  
sione tempus terunt instructionibus ad  
hoc Sacramentum non facientibus, nimi-  
rum de exercitijs Spiritualibus, de mori-  
bus & directione filiarum Spiritualium.  
Quia hæc sunt contra puritatem hujus ju-  
dicii, in quõ si aliqua doctrina requiratur,  
non alia requiritur quam in ordine ad ab-  
solutionem peccatorum.

### Articulus Sextus.

*De peccato pro ut est Materia  
Confessionis.*

1. **P**eccatum definitur esse: dictum fa-  
ctum vel concupitum contra legem  
F 7 Dei